



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 153. Et non respondit ei verbum, ita ut miraretur Pilatus. v. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

bus sed in patientia, in mansuetudine, benignitate, largitate & amore, erga nos miseros peccatores, ultra omnem rationem mirabilis in silentio, ad cui defensionem, capere non possum magnitudinem Mysterii huius, taces apud Pontificē Iudæorum Caiphā interrogatus! & accusatus graviter per falsos testes taces! & hic apud Pontium Pilatū præsidem gentilem taces! Omnino credo, ut doceas & Iudæorum populum & paganos & omnem nationem silere in tempore propter Deum? Imo ut iniquas iras, fabulationes, mendacia, periuria, falsa testimonia omnia deleas apud patrem tuum pietissimo illo & humili silentio.

Ergo, mi Iesu, mi Domine, pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, & non delinquam in lingua mea.

§. 153. *Et non respondit ei verbum, ita ut miraretur Pilatus. v. 24.*

Interrogationi præsidis: *Non audis quantum adversum te dicunt testimonia?* opponit humilem taciturnitatem & patientiam, Christus; ita ut miraretur Pilatus, comprehendere non valens illam insueram & tamen discretam & sapientem virtutem, secundum quam melius est tacere, quam inutiliter loqui sine fructu: & pari, quam inutiliter se defendere. Et hoc sane sensu, patientia habet opus perfectum, ut inquit Jacobus, nam calumniæ erant, satis manifestæ quæ subinde melius refelluntur silentio, quam multa actione. & bene noverat Christus Iudæos non acquiescuros, nisi eum occiderent per fas vel nefas. Cum igitur omnis Christi actio nostra sit instructio, voluit potius Dominus, præsidem iudicem suum, tacite suo exemplo docere, & sic in animo eius regnare tacendo, quam regno desistere loquendo. Voluit & nos instruere, certis in casibus, quæ immituntur nobis sustinenda esse in patientia, utpote Dei vel ordinatione vel permisso eventientia.

AH! quis non ad humilitatem, & patientiam, & amorem accendatur, ubi advertit, quam humiliter Dominus Dominorum, qui iudicaturus est vivos & mortuos, coram vili astiterit homuncione & quidem condemnandus ab eodem, tantaque cum patientia omnem hanc accusatorum iniuriam, probra confusionemque perpessus sit! Accendor quidem ad tur amorem mi Iesu, sed quid, cum manus ad aratrum est ponenda? prohi! perspicio retro, vix enim verbulum Dei amore terre valeo, si quid adversi inferatur à proximis vel iram indignationemque concipio in pectore, vel etiam protestor & clamito iniuriam mihi factam, vel vindicare me conor nec per horam sed per dies, menses sæpe & annos integros per iræ insaniam misere me devasto: nec atteudo, quod Dominus majestatis quotidie tantam à me, &

alii

aliis contumeliam, infidelitatem, iniuriam, contemptumque sustineat, dum sacra illius mandata tories contemnantur, & eius obstititur voluntati: & quoties ipsius gratiam negligamus & in vacuum recipiamus, atque indices eum deuo irrideamus, vulneribus diris conficiamus, ut sacrum illius crucem quodammodo effundere velle videamur.

Cur hoc? ô piissime Domine, nisi quia omni virtute & facultate meam tuum honorem & gloriam non quero, cur autem non quero? gloriam tuam, nisi quia te toto corde non diligo. Quare autem, quantum debeo, te non amo? nisi quia me ipsam inordinate adhuc diligo, & uti pridem debui me nec contempsi nec abnegavi! hac scilicet de causa, te Deum totis viribus non quero, sed potius me ipsam idque multipliciter & inauiter. Hæc ratio est, cur sanctissima vestigia humilitatis & patientiæ, obedientiæ & resignationis tuæ non amplectar. Sed ô clementissime Deus miserere; miserere mihi miserrimæ creaturæ tuæ, quandoquidem magnam agnosco & confiteor infirmitatem & perversitatem meam. A diuina me Domine Deus ut me ipsum abnegem, naturamque meam voluptati malæ deditam, & quasi sub peccato venundatam, seuerè crucifigam, ut mundo, carni & dæmoni, ad sanguinem usque relincher, nihil quippe possum absque auxilio gratiæ tuæ.

§. 154. *Per diem autem solemmem consueverat præ se populo dimittere unum vincitum quem voluissent. v. 15.*

Consuetudo hæc dimittendi unum vincitum in Paschate, nata erat à liberatione populi Israëliti ex Ægypto, quæ paschali die facta est, & habebat quidem hæc consuetudo speciem pietatis & Indulgentiæ sanctæ cum intuitu sanctitatis huius festi magni, quo patres Iudæorum liberati erant, etiam nepotes eorum liberabant, saltem unum eorum qui sibi erant obnoxii etsi enim Iudæi opus non habebant, ut per hanc liberationem vinciti hominis admonerentur liberationis suæ ex Ægypto olim factæ, quippe ante quorum oculos Deus ipse huius rei memoriale signum instituerat, agnum paschalem, atque adeo totum ipsum festum. Ipsi tamen huic signo à Deo instituto pie ut creditur olim etiam illud addiderant, nec contra nec secundum legem Dei sed secundum rectam rationem, qua in re multum superarunt isti Iudæi malevolentiam nostrorum hæreticorum qui ex solo Dei verbo & quidem non nisi scripto, volunt ædificare Religionem, sed de his alius erit dicendi locus. Cæterum in Pilato hic iterum videmus egregiam iustitiam & prudentiam Civilem, atque utinam nunquam sortiremur peiores & imprudentiores eatenus Magistratus. Optamus quidem bonos & pios Reipublicæ principes, sed si omnino propter iniquitates nostras meremur

impios